

Ad capitis dolorem

I. Ad capitis dolorem etiam in febre primis diebus bene facit serpylli pondo quadrans, rosae aridae pondo quadrans. haec incoquantur duobus sextariis aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. inde sumitur
5 cyathus et in duobus rosae commiscetur frequenterque curatur ex eo caput: ubi enim concaluit quod infusum est, nisi eo recens adiciatur, nocet.

II. Item prodest eodem modo ruta per se vel cum hederæ bacis decocta. polygonion quoque et menta multis profuit eadem ratione decocta et infusa capiti dolenti, spondylion et agni semen et platani pilulae similiter
10 aceto incoctae rosaeque folia residuo aceto commixta.

III. Cum autem pluribus diebus permanserit dolor, tum omnium supra dictorum oportet uncias singulas sumere iisque admiscere lauri bacarum, castorei, nucum amararum, pulei, samsuci foliorum, singulas uncias et in aceti sextariis tribus decoquere ad dimidias et eodem modo rosa admixta
15 non tam frequenter caput curare.

III. Ad omnem capitis dolorem efficaciter prodest crocomagmatis pondo sextans, aluminis fissi vel gallae pondo uncia. haec terere ex aceto et rosa vicibus adiecta oportet, usque dum mellis habeant spissitudinem, atque inde frontem et utraque tempora oblinere.

20 V. Ad capitis dolorem, cum inveteraverit, bene facit haec compositio: myrrhae \times p. I, croci \times p. II, amygdalarum amararum \times p. II, rutae viridis \times p. III, sphondylii \times p. I, panacis \times p. I, lauri bacarum \times p. III, serpylli \times p. II, castorei \times p. I. teruntur haec omnia aceto et fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aceto et rosa in mellis spissitudinem
25 atque ita frons et tempora inlinuntur.